Di

Dupl. coll.
ad
Path. Thiap. I. o 285

21/II 90

nayer

~~Kropsch~~

Kropsch, F

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
HYDROPE IN GENERE,
QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI
DECANI,
NEC NON CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
RITE CONSEQUENDA
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
IN ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VIENNENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Ferdinandus Kropsch,
Styrus e Mureck.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die 4. Augusti 1831.

VIENNAE,
TYPIS VIDUAE ANTONII STRAUSS.

LECTORI BENEVOLO.

Sapienti academicae legi cuilibet studiis medicis feliciterperactis dissertationem conscribere imponenti et ego libenter memet submitto. — Nihil sincerius optassem, quam elaboratione diligenti et accurata his legis mandatis in quantum vires concederent, satisfacere; sed quam maxime temporis angustiae urgent, meque hocce conamen seponere et ad dissertationem confugere cogunt, quae Hydropem in genere tantum tractans, res notas verbis fors minus aptis exhibet.

Quae de hydrope in medicorum scriptis occurrunt, legi, nonnulla selegi et collegi, et ex collectis corpus formavi utique imperfectum, versicoloribus et peregrinis plumis munitum, quod nunquam sibi adrogabit, numerum praeclararum dissertationum augere, sed Tuam benevolentiam, Lector benigne! Tuamque indulgentiam Judex strenue! summopere implorat.

I. De Hydrope in genere.

Summae difficultatis est, hydropis definitionem exhibere, quia omnes humorum collectiones eadem phaenomena cum illo morbo saepius praebent, et tamen illorum causa interna diversa esse potest. Tympanites essentialiter differt a quovis hydrope, effusiones fluidorum animalium, e. g. bilis, urina etc. in partes cavas ad hydropes non numerari queunt; pro declaratione morbose secretorum humorum definitio hydropis est nimis lata, sic quoque hydrops sanguineus, purulentus nulla ratione nititur. Ad hydropes tantum modo illae collectiones pertinent, quae in omnibus organicis partibus sedem suam habere possunt, et ab universali secretione, nempe nutritione originem suam ducunt, hinc omnes propriarum secretionum collectiones ab hoc morbo sunt excludendae. Hydrops igitur est morbosa vaporis animalis in fluidum conversi collectio, quae in quovis organo secretione oriri potest.

II. Qualitas humoris hydropici.

Humores in hydrope collecti qualitatem variam praebent, quod et paracenthesi instituta, et aquis evacuatis post mortem repertum est. Quod ad colorem attinet, aqua collecta modo seri, modo albosubcanam habet speciem; saepius subflavum aut subviridem colorem offert, simul est clara, et pelluci-

da; plerumque puriforme aut sedimentum fibratum oritur, interdum magis lymphaticam formam praebet; aqua saepe est turbida, lactea, flava, viridis, rubra sicuti aqua carne elixa, aut sanguine commista, aut magis degenerata. Saepius fere est inodora, sed in variis gradationibus degenerationis foetet. Quod ad consistentiam spectat, plerumque est tenuis, liquida, sed quoque crassa, gelatinosa, lactea reperitur, aut in illa natant fibrosae, vel partes membranosae; non raro ejus qualitas mutatur, ita, ut modo tenuior, modo crassior, modo tenacior adpareat, praeterea diuturna retentione et morbosis mutationibus partium continentium in diversas degenerationes transire potest. Analysis chemice instituta variis omnino respiciendis casibus nondum ita sufficit, ut ex illis concludere possimus. Ex nota analysi chemica hic humor magnam copiam aquae, albuminis, natron muriaticum, kali sulfuricum, calcem phosphoricam, ferrum phosphoricum, et aliquid mucilaginis continet. Gelatina maxima ex parte deesse videtur, attamen nonnulli Chemicorum animalem gelatinae similem materiam commemorant. Notatu digna sunt experimenta clar. *Wells* et *Blakall*, qui in urina hydropicorum frequentissime multum albuminis detexerunt.

III. Hydropis symptomata in genere.

Fere quisque hydropicus horripilationis, siccitatis internae, tensionis et saepe doloris obscuri sensum ingratum agnoscit, os est siccum, humore viscoso obtectum, sitis augetur, attamen non omnes hydropici magnopere sitiunt. Transpiratio et urinae secretio sunt diminutae aut suppressae, hinc cutis arida, pergamena, alvus lenta, dura et irregularis,

quamobrem aegroti de obstructionibus conqueruntur. Proprias mutationes offert urina, quae obscura, turbida, jumentosa, foetens, sedimentosa, ac in dies parcior redditur, attamen nonnulli aegrotantium sunt excipiendi, qui sat copiosas ac limpidas urinas mittunt. Hydropica pars ab aquis extenditur, ejus nutritio simul diminuitur; tumor in partibus externis oculis et tactu est distinguendus, ille sub initio mollis, compressioni cedens, iterumque resiliens, sensim vero magis densus ac digito prementi renitens. Si latex aquosus exiguis in cellulis sub cute stagnaverit; tumor nascitur mollis, laxus, pallidus, subfrigidus, indolens, a digiti impressione foveam difficilius, tardiusve resurrecturam offerens. Si caveam occupet humor, illa magis magisque extenditur, et sub certis conditionibus, tumor a digito perculsus fluctuat, motumque isti undosum communicat. Si vero latex aquosus aut profundius haeret, aut involucro densiore obtectus, arcteque coërcitus, aut crassus, ac tenax est, tactui exploranti undulatione manifesta non respondet. Ubi telae cellulosae interjectus haeret humor, tactus tenacem pituitam subesse indicare videtur. Praeterea aquarum collectio semper majorem extensionem et varias morbosas mutationes partium vicinarum, praesertim dolores, inflammationes, desorganisationes, concretiones, intumescentias, ac indurationes efficit. Ipse tumor oedematosus respectu ejus diversae extensionis, ac sedis compressione varia phaenomena, praecipue sensum tensionis, ponderis, motumque impeditum producit, qui crescente relaxatione adhuc augetur. Copia collectae aquae est diversa: saepe exigua, saepe magna et ubi hydrops certum locum occupavit, tabescunt partes, in quibus nihil aquae adest, ac sub initio multarum, at-

tamen non omnium hydropis specierum apparet oedema pedum, quod nocte frequenter denuo evanescit. Ceterum symptomata ratione speciei gradus ac sedis morbi primarii sunt diversa.

IV. Hydropis sedes.

Hic morbus telam cellulosam, et cava corporis humani membranis obducta occupat, in utrisque vapor animalis secernitur, qui in statu normali fluidi indolem non assumit, sed conservandas et nutriendas partes adjuvat. Omnis aevi medici et chirurgi quidem conveniunt, hunc vaporem in cavis ad conservandam lubricationem, ad impediendam frictionem ac concretionem, et ad superficiem organorum lubricandam destinatum esse; sed est majoris momenti, et non solum propriam atmosphaeram circum organa dispergit, sed etiam ad illorum actionem vitalem ac nutritionem confert. Cum autem tela cellulosa in toto corpore humano inveniatur, aqua in omnibus locis quoque colligi potest; hinc locus vix reperitur, ubi morbosa aquarum collectio non observata sit, quod praesertim ex sectionibus cadaverum patet.

V. Character Hydropis.

Status morbosus hujus mali constat diversa natura; huic enim morbo aut character inflammatorius, aut debilitas universalis cum aucta vel diminuta irritabilitate, partium laxitate, ac vitiosa conditione humorum conjuncta subest. Character hydropis igitur, in quem inflammatio topica transit, est in genere inflammatorius, et modo per longius, modo per brevius tempus existit, saltem aucta actio vasorum in or-

gano ab inflammatione affecto adest. Ubi autem hydropi debilitas inest, inflammationes peracutae prius ad gangraenam, ac minus acutae prius ad desorganisationes quam ad morbosam secretionem ducunt. In hydrope inflammatorio non tam facile remittit inflammatio ut in suppuratione, quoniam posteriori, quae inflammatione posita est, organisatio destruitur, ac in hoc casu secretio praevalet, sed non tali ratione, quali in resolutione, ubi resorptionis actio statim accedit; hinc inflammatio et aquarum secretio quadam ratione conjunctae esse possunt. Hydrops localis e causa mechanica originem ducens, sub quovis charactere actionis vitalis, qui hoc ipso tempore constat, adparere potest, praeterea causis mechanicis inflammatio plerumque producitur, ubi autem vis, quae hic locum habet, est respicienda. Metastasibus inflammationem ac hydropem immediatum ponentibus saepe subest character inflammatorius, qui autem, ubi nulla febris adest, mutatur, et cachexiam, ac hydropem progredi permittit. Hydropes autem a cachexia et atonia originem suam ducentes omnino nituntur debilitate. Hinc inflammationes advenientes sunt irregulares et lentae, et quod immutationem characteris attinet, exigui aut nulli momenti. Hydropes ex suppressis haemorrhagiis, exanthematibus, arthritide et aliis cachexiis specificis orti, ab initio plerumque characterem inflammatorium prae se ferunt, qui autem non diu consistit, quoniam in hoc casu dispositio ad cachexiam et ejus celerior aut tardior evolutio adsunt. Hydropes a spasmo dependentes in primo stadio characterem inflammatorium saepius offerunt, quatenus autem anomalia nervorum actionis nituntur, semper debilitas subest. Quamobrem hydropis diagnosis ad ejus characterem accurate di-

stinguendum certis signis eget. Habitus robustus ac bene nutritus in hydropicis cum charactere inflammatorio non semper est inveniendus, solus haud probat, et ipse cum cachectico similitudinem habere potest; contra actio systematis vasorum, praecipue pulsus suppressus, tardus, attamen magis plenus, aut durus plenus, vibrans raro contractus est magni momenti. Praeterea sensus morbosi, tensio major, dolores in pectore, in lumbis, magnitudo sitis respiciantur; temperatura non diminuta, saepe sine febre perfecta est aucta, urina parca, rubicundo - fusca, alvus dura, ceterum momenta causalia et praedisponentia, celerior, sive tardior, aquae collectio et ejus extensio ad illustrandum morbum valde conferunt.

VI. Hydropis diversitas.

Rationes quae mutationem hydropis respectu ejus actionis efficiunt et modificationes constituere solent, sunt diversi, ac his revera producta discrimina hydropis majoris aut minoris momenti. Respectu extensionis distinguimus intumescentias aquosas partium externarum, quae nomine oedematis solito significantur, e. g. scroti, palpebrarum etc. sive aquarum collectionem in organis internis, e. g. in pulmonibus, utero, vel hydropem plurium organorum, e. g. in cavo thoracis, abdominis, vel hydropem universalem, ubi aqua et sub cute et in cavis internis est collecta. Terminationem quod attinet, distinguitur hydrops liber sive collectio aquarum libera in corporis humani cavis et tela cellulosa sive terminatus, qui solito hydrops saccatus nominatur, ubi aqua in morbose generato sacco est inclusa. Hydrops discernitur in talem, ubi saccus ex partibus jam consistentibus se

format, et in talem, qualis ex morbose producta constat membrana. Hydrops hytatideus est inepta denominatio, hytatides sunt vesicae diversae magnitudinis et frequentius per se, quam aqua impletae inveniuntur; respectu earum originis cum hydrope saccato similitudinem praebent, ille autem quasi formationes morbosae a hydrope secretione generato sunt excludendae. Ratione originis divisio in primarium et secundarium hydropem non sufficit, quoniam morbo mutationes morbosae antecedunt. Ad summum ille hydrops primarius nominari posset, in quem inflammatio immediate transit, respectu illius, qui post plures morbosas mutationes sequitur. Huc pertinet quoque divisio in hydropem localem et in illum e causa universali ortum. Haec diversitas ratione extensionis morbi est nullius momenti, nam localis et hydrops universalis a malis topicis oriri potest; causam quod attinet, hoc discrimen non esset rejiciendum, sed distinctio simplicis et compositi hydropis respectu conjunctionis morbi aptior esse videtur, prout morbus causalis est simplex vel compositus. Hydrops compositus respondet simul agentibus diversis mutationibus morbosis, et differt a complicato, qui aliis morbis fortuito est conjunctus. Eadem ratione medici qualitatem humoris hydropici quod attinet, distinguunt hydropem sincerum, lymphaticum, mixtum, degeneratum. Quamvis differentia in hoc casu sit magni momenti, tamen humoris hydropici propria qualitas non sufficienter est explorata. Aliam varietatem offert hydropis symptoma, prout hic morbus in certis partibus residet, locum suum mutat, vel interdum tenet certum typum. Huc numeratur igitur hydrops fixus, vagus, periodicus. Divisio in hydropem acutum et chronicum respectu ejus temporis et decur-

sus est incerta et ratione ad praesentem vel absentem febrem non sufficit; causas occasionales quod attinet, endemice hic morbus in locis paludosis ac frigidis, maxime vero alterius morbi ut scarlatinae influxu epidemice regnat. Aliam varietatem praebet relatio ad aegrotum et in hoc casu est hydrops levis, gravis, dubius, periculosus, bonus aut malignus, quod scilicet ad prognosin multum valet. Character morbi, i. e. ejus actio vitalis et inflammatio, status febrilis et cachecticus etc. ex quibus hydrops dependet, maximam diversitatem offerunt. Hac ratione distinguimus hydropem inflammatorium, ubi febris charactere inflammatorio est conjuncta, ac irritatio in organis cum essentialibus febris symptomatibus adest, et praedominatur, in secundo casu discernimus hydropem cum debilitate universali et atonia conjunctum.

VII. De causis hujus mali.

Medicorum et chirurgorum plurimi causam proximam hujus mali positam esse censent in statu morboso secretionis ac resorptionis, quae modo acutae, diminutae, modo prorsus sublatae esse possunt. Si igitur nimium humoris aquosi secernitur et in telam cellulosam et in cetera corporis cava effunditur, et tela cellulosa ac vasa lymphatica non denuo resorbent, hac ratione hydrops generatur et sic vice versa.

Causae remotae quae hydropem producunt, sunt sequentes: diathesis experientia confirmata, versatur partim plethora, vel abundantia humorum in genere, frequenti ac valida circulatione, partim debilitate et atonia organorum praecipue systematis lymphatici, qua fit ut aqua praeter normam colligatur. Conditiones vero, quibus dispositio illa innititur, sequentes sunt:

Aetas. Licet equidem cuivis aetati communis esse queat, saepius tamen consistens illa infantilis et senilis peccat.

Sexus. Quamquam uterque sexus huic malo obnoxius sit, tamen juxta observationes diligentissimas et experientiam quotidianam mulieres frequentius quam viros eo corripi, constat; verum hos aetate praesertim ingravescente adoritur, illas, ubi jam parere desierint. Steriles autem quandoque etiam juniores occupat. Locum quod attinet, ille aptus est ad hunc morbum provocandum; qui situm tenet ad ripas fluminum lacuumve et ad loca humida ac frigida. Eadem ratione occurrit hydrops apud homines, qui inundationibus frigidis crebro sunt expositi, et, licet elevatae quidquam civitatis incolae infimam tamen habitaculi contignationem, cellasque solo humidiori lucisque beneficio carenti superstructas incolunt. Ipsae plantae talibus in locis vegetantes solisque radiis privatae pallescunt, habitumque cachecticum induunt.

Temperamentum phlegmaticum prae ceteris huic morbo maxime aptum esse et proclive, constans autorum est observatio, id quod ob debilitatem, praesertim systematis lymphatici ad stagnationem et collectionem humorum inclinantis fieri existimant. Hinc pingues hydrops saepius corripit, quoniam digestio ciborum ab illis male perficitur.

Tali ratione vita magis quieta et otiosa, feriata a negotiis et sedentaria ad hydropem producendum confert. Excreta et retenta quoque in generando hydrope non minimam certe causam ferunt, quam videlicet ea, quae naturaliter excernenda sunt, praeter naturam retineantur, aut quae retinenda evacuentur.

Ad primam classem referuntur alvi faeces, mensium et haemorrhoidum et exanthematum suppres-

sio etc., ad alteram intempestiva, et nimia alvi menstrui fluxus, haemorrhoidumque excretio. Sic etiam hoc malum gignit immoderata seminis evacuatio, quae non solum vires protinus exhaurit, sed etiam totum corpus et animum destruit.

Huc referenda sunt quoque vitia diaetae, nempe victus aquosus, parum nutriens et potuum spirituosorum abusus ac frequens ebrietas. Sic quoque ad hydropem producendum conferunt emollientia resolventia, praecipue mercurialia, narcotica remedia inepte adhibita.

Nec minorem attentionem merentur morbi in generando hoc malo sicut exanthemata acuta ac chronica, v. g. scarlatina, variolae, morbilli, milliaria, herpes, psora, tinea etc. Sic etiam producunt hoc malum dysenteria, vomitus chronicus, diabetes, infarctus viscerum, icterus, dispepsia, scrophulae, scorbutus, arthritis, chlorosis, morbi syphilitici, dyspnoea, asthma, tabes etc.

Huc quoque numerantur plures morbi nervosi, e. g. tussis ferina, epilepsia, paralyses, febres intermittentes praesertim quartanae etc. Hac ratione ad producendum hydropem conferunt animi pathemata, uti sunt: diuturnus moeror, tristitia, terror inopinate excitatus et incussus, invidia, timor, curae, pudor etc. Ad causas mechanicas hoc malum generantes numerantur pressio et contusio vasis lymphaticis illata, tumores, indurationes viscerum ventris, praesertim hepatis, pancreatis, renum, lienis, glandularum meseraicarum, pertinaces sanguinis stagnationes in systemate venae portae, sic quoque aneurismata aortae, ac vasorum majorum, magnae extenuationes cordis, ossificationes ejus parietum ac valvularum varices, tumores cystici. Tandem vasa lymphatica rupta

collectionem aquarum et quidem topicam producere possunt, quo fit ut recessus humorum lymphaticorum mechanica ratione impediatur.

VIII. Decursus Hydropis.

Decursum hujus mali quod attinet, est diversus, respectu praesentium variarum causarum; nonnullae collectiones aquarum habent peracutum decursum et producunt celerem mortem, apoplexia, convulsionibus et suffocatione, quod ab organorum affectione dependet, in quibus aquarum collectio sedem tenet. Hydrops cum inflammatione conjunctus decursum et exitum inflammationis praebere potest, ac ita quidem, ut gangraena, suppuratio, concretio, atque induratio, ad illum morbum aut adveniant aut illa sub bonis circumstantiis resolvatur. Si resolutio non sequitur, hydrops cum suppuratione, induratione etc. certum locum occupare et reactione in totum organismum non raro universalis evadere solet. Tunc enim evanescunt praesentia symptomata febrilia, habitus redditur cachecticus, humor simul colligitur in pluribus cavis et hydrops universalis accedit. In hydrope consecutivo jam morbosa mutatio reactionis organicae existit; si character inflammatorius adest, ille respectu individualis constitutionis subjecti per longum tempus consistere potest, dum impedita nutritio generatim praedominatur, ubi tunc quoque haec differentia non locum habet. Hydropes e primario depressa sensibilitate orti, atque charactere inflammatorio conjuncti non semper decursum acutum tenent, quod hydrops vagus saepe demonstrat. Hydrops consecutivus in perficienda universali degeneratione aut progreditur aut morte, aliisque morbis interrumpitur, aut abit

in sanitatem. Hinc stadia certa decursus quoque sunt distinguenda, quae in hydrope inflammatorio patent, nempe stadium inflammationis, apertae aquarum collectiones cum aut sine aliis desorganisationibus, transitus in cachexiam, hydropicam et ejus perfectionis tabe conjunctae. In hydrope consecutivo stadium prodromorum, quod concurrentibus diversis morbis nititur, stadium aquarum collectionis, cachexiae hydropicae et perfecti morbi est distinguendum. A tertio stadio omnes hydropis species inter se conveniunt, prout cachexia magis evolvitur. Variae circumstantiae in stadio tertio gravem degenerationem, quae in stadio ultimo saepius comparet, causare possunt. Haec degeneratio versatur irregulari inflammatione ad gangraenam inclinante, nempe frigidus doloris expers tumor oedematosus calescit et rubescit, aut in illo maculae decolores conspicuae evadunt, oriuntur horror, calor auctus, pulsus acceleratus et contractus, molestus pruritus, dolores lancinantes membrorum tumidorum, sitis intolerabilis, urina rubra et turbida; sequuntur magna anxietas, insomnia, vertigo, tremor, gangraena et mors, aut inflammatio interna transit in ulcus colliquationem adjuvans. Saepius fit excoriatio cutis, humor sibi aperit viam extrorsum, qui ante symptomata desorganisationis accedentia ad levationem aegroti saepius confert, interdum quoque, ad crisim bonam ducit, saepius autem collectionem aquarum denuo generat, nisi praesertim jam existente degeneratione ulcera in loco excoriationis oriantur aut erysipelas evolvatur, et tali modo gangraena internorum et externorum organorum efficiantur et mors acceleretur. Si hydrops ad stadium quartum venit, partes non hydropicae prorsus tabescunt, aegrotus in lecto cubare est coactus, ocyus, serius

fit febris lenta et cachexia perfecta. Frequentius tamen antea sequitur mors, et quo magis hydrops evolvitur, eo minus transit in morbos periculosos. Transitus ad sanitatem non solum ab evacuatione aquarum dependet, nec semper quoque tali modo adducitur. Evacuatio per vias varias peragi potest. Ad illas referuntur vomitus et diarrhoea, tumor oedematosus ad umbilicum ruptus aut in aliis locis superficiei cutis, interdum quoque ipsa ulcera in extremitatibus inferioribus. Aquarum evacuatione quidem magnum impedimentum sanitatis amovetur, sed etiam secretionis morbosae immutatio et assimilationis ac resorptionis ad normalitatem reditus necessarius est. Utrumque modo in hydrope usque ad quemdam evolutionis terminum sequi potest, sed si vitia organica jam existunt et cachexia nimis longe est progressa, nihil est expectandum; praeterea varii morbi denuo emergentes nempe febris intermittens haemorrhagiae suppressae, exanthemata, ulcera bonam prognosim reddere possunt.

IX. Prognosis.

Prognosim hujus mali quod attinet, in vulgus notum est, hydropem morbum esse pertinacissimum, periculosissimum, raro curabilem et saepius lethalem, cujus prognosis, quo magis causae, quibus oritur, sunt diversae, eo magis est varia. Quo magis dispositio ad illum circa individualitatem, sexum, aetatem versatur; eo minus in hoc tam terribili morbo est sperandum; nonnulla momenta causalia sunt talis conditionis, ut nullum auxilium, eo ipso nulla sanitas sperari possit, et si medicus aegroto modo per longius, modo per brevius tempus levamen hujus mali afferre

queat. Huc praecipue referuntur vitia organica, suppurationes internae, major gradus cachexiae, abusus potuum spirituosorum, vita luxuriosa et nonnulla venena. Hydrops, ceteris causis progenitus sub quadam conditione modo prosperum eventum offert, quatenus corporis status idoneae reactionis capax est, sicuti hic morbus charactere inflammatorio conjunctus majorem sanationis spem, quam debilitati innixus praebet, et quatenus hydrops nondum nimis longe est evectus. Hydrops simplex neglectus saepius, non sanari potest, et quo diutius existit, eo minor spes sanationis est concipienda. Conjunctiones quod attinet, hydrops ad morbos chronicos, praesertim cachecticos accedens aeque est periculosus, atque accessus aliorum morborum cachecticorum ad hydropem. Quo magis hydrops crescit, eo magis periculum augetur, quod in genere respectu ejus sedis diversum esse potest; sic origo subitanea quibusdam causis, nempe copia aquae serosae et sede est periculosa, veluti tardior evolutio, quin tamen cito periculum afferrat in existentibus vitiis organicis hydatibus, vi tumorum pressione vasis illata etc. generatim tristem eventum habet. Quod ad comitantia phaenomena spectat, est notandum: pulsus in hydrope non signum est universale, sed secundum existentes circumstantias est respiciendus; hinc ex pulsu aequali non tardo et non frequenti temperato et inter decurrentem morbum se tollente bona prognosis est sumenda; sed vice versa se habet pulsus debilis parvus sanguinis defectum significans et inaequalis intermittens ac celer. Respiratio inter decursum tantum non omnium hydropis specierum afficitur, hinc faustus eventus semper est expectandus, quam diu aegrotus libere facileque respirat; dispnoea contra, quae non solum

inter coenam et potum crescit, sed etiam persevecrat et fere ad nullam corporis positionem remittit, perpetuo est malum signum, pari modo tussis crescens singultus praesertim post evacuationem aquarum; insomnia, magna debilitas, palpitatio cordis, vertigo, animi deliquia, sitis defectus, et vehemens sitis dubiam eventus felicis prognosin faciunt; ejus decrementum autem atque humida lingua inter signa melioris conditionis numerantur; appetitus bonus et digestio pro exitu nonnullarum hydropis specierum nihil probant, sed totalis strages aegroti semper est tristis. Deglutitio difficilis ex inflammatione topica vel spasmis progenita, motus frequens, ructuum flatuumque saepius sunt prodromi imminentis tympanitidis. Vomitus integris tamen visceribus et viribus consistentibus est crebro criticus, sed vitiis organicis per longum tempus jamjam existentibus et ubi nullum levamen symptomatum adducit, est dubius; diarrhoeae moderatae in cachexia nondum nimis longe progressa salubritatem afferre possunt, serius sequentes autem morbi conditionem pejorem reddunt. Salivatio in hydrope est raro critica, tamen in statu verminoso et hysterico interdum occurrit, serior damnum semper affert: pari modo sudor raro per se sufficit. Conditionem cutis quod attinet, praesertim aspera, sicca, quae humescit, et aptus sudor respiciantur: sed frigidi, inordinati, foetentes ac colliquativi sudores malam prognosim praebent. Urinae excretio aucta est signum eximium pro eventu hydropis, praecipue si non crassa, non rubra, non aquosa et initio sedimentosa est; urina fusca, turbida, oleosa, foetens et sic quoque clara et aquosa cum hydrops crescit, semper malignitatis signum affert. Si aqua ex oedemate evacuata humorem sero et lympha commixtum ex-

hibet et est clara et inodora, bonus eventus est expectandus, illa contra tristem praebet exitum, quae est nimis aquosa inter evaporationem non spissescens lactea sanguinea et signa degenerationis habet. Hydropici usque ad finem semper vivunt in bona spe et non raro sequitur mors inopinata: partim propter frequentem urinae excretionem, ubi vires exhaustae et vitia interna organica mortem gignunt. Recidiva partim ab incurabili causa post auxilium palliativum, partim a remanente dispositione et a novis causis dependet.

X. De sectionibus cadaverum.

Sectiones cadaverum in comparanda morbi historia causas et eventus saepius explicare possunt, sed hydropem eadem ratione hucusque non illustrant. Nempe magis aut minus collecta aqua vel in spatiis corporis vacuis vel in propriis cavis saccis, et existente hydrope universali omnes corporis partes mutatae inveniuntur. Omnis tela cellulosa aqua est impleta, in cavis ossium pro medulla ipsa aquosus humor reperitur, omnes partes sunt attenuatae, ossa ipsa tenuiora et dispulsa. Cutis decoloribus maculis saepius est obtecta, saepe adparent ulcera gangraenosa. Organa quae aqua tetigit, diverso modo sunt mutata, tumida, mollia et arosa. Similes desorganisationes in partibus remotis v. g. crebro inveniuntur. Respectu hydropis omnes medici propriam vasorum lymphaticorum abnormitatem observant, quae in hydropicis optime possunt examinari et saepius eandem crassitudinem atque penna habent. Hinc apparet inter decursum hydropis extensione resorptionem impediri, quod autem de incipienti hydrope non semper

potest demonstrari. Ceterum status telae cellulosae et vasorum lymphaticorum confirmat hydropem in genere ac optandum est, ut accurata membranarum secernentium exploratione statum secretionis ac resorptionis lucidius exploremus.

XI. Cura Hydropis in genere.

In curando hydrope medicus non solum causas, quae hunc morbum generant explorare et amovere, sed etiam aquam collectam evacuare studet: ubi vero id fieri nequit, eo contentus est, ut symptomata, quantum potest mitiget et leniat. In primo casu causam morbi respicit, quam delere sat agit, vel aliis verbis: curam adhibet methodicam. Ubi suspicio est, ne causa syphilitica, scrophulosa, rheumatica, arthritica, scorbutica etc. morbo subsit, remedia singulari cuivis casui adcommodata sunt adhibenda. In secundo casu utitur iis remediis quae aquarum evacuationem efficiunt et a medicis sunt laudata et commendata. Primum casum quod attinet, si hydrops febre et inflammatione est conjunctus, quod frequentissime accidit, methodus antiphlogistica est adhibenda et omne, quod irritare potest, vitandum. Omnes aromatici cibi, caro, potus irritantes, vinum, et alia spirituosa permitti nequeunt. Aegrotans diaetam et maximam tranquillitatem animi et corporis observet. Remedia, quae febrem et inflammationem avertunt, sunt venaesectiones et evacuationes topicae. Ad usum internum numerantur nitrum, cremor tartari et mercurius dulcis cum pulvere herbae digitalis conjunctus.

Sed in hydrope debilitate universali et atonia orto roborantia tonica sunt vera remedia, quae organisationi illam soliditatem, vim et cohaesionem accom-

modatam praebent, ut singularia organa et praesertim systema vasorum lymphaticorum functiones accurate perficere valeant. Non quidem negandum, haec roborantia tonica hydropis ex debilitate orti aut illa conjuncti non semper sanationem adducere, quia partim universalis, aut topica irritabilitas et sensibilitas, partim vitiosa digestio et assimilatio adsunt. Ad illa remedia saepe haud est confugiendum, nisi aqua evacuata. Tunc autem curam radicalem efficere, et recentem collectionem aquae impedire possunt, sed caute sunt adhibenda.

Remedia roborantia varia multis a medicis ad sanandum hydropem commendata sunt sequentia: Cortex Peruvianus cum aliis adstringentibus huic morbo omnino saepius medetur, praesertim si hydrops ex febre intermittente ortus, aut cum illa conjunctus est. Hoc remedium aqua evacuata vim suam maxime exserit. Plerumque utimur decocto, vel infuso, vel extracto cum aliis medicamentis accommodate oppositis, quia aegrotus pulverem Corticis Chinae rarius coquit.

Praeter Corticis Peruviani usum etiam amara remedia, nempe Cortex Quassiae, Radix Colombo, Cortex Simarubae, Herba Absinthii et Trifolii fibrini varia extracta amara, tincturae amarae et elixiria etc., praecipue sunt laudata et commendata, ut organorum digestionis debilitas atque sensibilitas deleatur. Haec medicamenta Cortici Chinae, qui in hoc casu non digeritur, saepius praemittuntur. Illa remedia cum mitioribus diureticis, e. g. baccis Juniperi, Radice Ononidis spinosae conjuncta roborante sua et augente secretiones virtute jam dudum inclaruere: hinc etiam ad curandum hydropem bono eventu a medicis adhibita.

Inter remedia, quae ad hydropem sanandum

commendata et cum eventu adhibita sunt martialia, medicorum attentionem merentur: nempe Limatura Martis, variae Tincturae martiales, praecipue Tinctura Ferri acetici, aetherea, et vitriolum Martis. Haec praeparata partim cum amaro-aromaticis, e. g. pulvere cinnamomi, partim aliis medicamentis commixta, prout circumstantiae suadent, porriguntur. Ubi vero viscerum obstructiones status gastricus vel spasticus, magna irritabilitas systematis vasorum et motus febriles existunt, ex hac ratione non sunt adhibenda.

Cuprum sulfuricum quoque propter vim adstringentem a quibusdam commendatur. Quo est utendum si hydrops originem a magna laxitate solidarum partium habuit: est vero vitandum, ubi status irritationis et intestinorum indurationes adsunt. Balnea frigida a nonnullis laudantur, quae autem sub summa virium jactura, sub pulsu parvo et tremente, sub respiratione difficili ac tussi aspera sub rheumatica morbi indole sunt vitanda; si autem magna et universalis totius systematis lymphatici laxatio adest, ab illis multum est expectandum.

Eadem laude aquae minerales ferrum continentes ac marina balnea gaudent. Cum hydrops viscerum obstructionibus, sudore suppresso, exanthematibus tam acutis quam chronicis retentis vel aliis causis est ortus, remedia singulari cuivis casui accommodata sunt adhibenda.

Hydrops vitiis organicis autem productus nullam plerumque nisi palliativam curam admittit.

Ad remedia, quae morbose secretam et collectam aquam educere possunt, pertinent sequentia: nempe paracenthesis, emetica, diaphoretica, diuretica et purgantia.

Paracentesi prae ceteris tuto aquam amovere pos-

sumus, priusquam potestatem iniquam exserere valeat. Operatio in omnibus fere casibus suscipi potest, ipsa nec difficilis, nec periculosa per se est. Prospero eventu ubi nullum vitium organicum adest et organismi reactio sufficit, aqua evacuata sanatio per se vel tamen sub artis auxilio consequi potest. Sed quoque praeterea paracenthesis est magni momenti, quia aquarum eductione relaxatio et desorganisatio progrediens coërcentur, et hac ratione ceteris curae indicationibus nunc cum eventu satisfieri potest. Saepius autem paracenthesis est palliativa et saltem mitigat morbum non amplius delendum. Generatim illa est indicata ubi sperari potest, fore ut tumor aquosus ipse attingatur et aquae via externa aperiatur, ita ut nullum organon laedatur, quod certo respectu eventus morbi decursui damnum afferre possit, ubi nec degeneratio adest, nec hydrops longe praegressus. Ceterum molimina naturae sunt observanda, cum illa hac via aquarum evacuationem efficit.

Emetica quod attinet, illa ubi nulla vitia organica et nullus status inflammatorius existunt, ubi aqua in ventriculo est clausa et ubi succussione atoniam avertunt, caute adhiberi debent. Ad emetica, quae interdum opem attulere, numerantur antimonialia, praecipue tartarus emeticus, qui in systema lymphaticum vim suam exserit, ejus reactionem auget et hac ratione aquarum resorptionem promovet. Sulfur auratum Antimonii, quoque commendatur, quod cum Squilla conjunctum egregiam opem tulisse dicitur. Inter remedia, quae ad aquarum resorptionem et evacuationem per renes promovendam commendata et vario eventu adhibita sunt, sequentia diuretica medicorum attentionem merentur: Herba Digitalis purpureae utimur in inflammationibus irregularibus prae-

cipue in illis, quae ad transudationes inclinant, ac in statu spastico; est autem vitanda, ubi atonia et cachexia nimis longe sunt progressae. In usu sunt pulvis et infusum, quae efficacius agunt quam tinctura et extractum hujus plantae et ubi ceterae permittunt circumstantiae, digitalis purpurea cum aliis remediis aromaticis commixta usui est accommodata. Externe frictiones succo expresso vel unguento hujus herbae institutae curam saepius adjuvant. Radix Squillae maritimae in atonico et cachectico statu praesentius auxilium affert, est autem ineptus in illis casibus usus, in quibus est timendum ne inflammatio moveatur aut augeatur. Formulae sunt eaedem, attamen Squilla maritima datur in forma extracti, cum infuso vinoso in pillulis et in forma oxymellis squillitici. Eadem ratione Colchicum autumnale effectum praebet, sed rarius adhibetur.

Herba Nicotianae Virginicae, praeterea Radices Iridis germanicae, Semen synapeos, Pyrethrum et alia saepius cum eventu adhibentur. In extremis casibus Cantharides attamen caute porriguntur. Ad mitiora diuretica remedia, quibus tanquam adjuvantibus utimur, pertinent herba Petroselini, baccae et lignum Juniperi, radix Ononidis spinosae etc. Purgantia quod attinet, huc referuntur Cremor tartari, Tartarus tartarisatus etc., qui partim statum inflammatorium, partim malum e causa gastrica ortum amovere possunt. Quae dantur cum Rheo, Sulfure aurato Antimonii et extractis amaris conjuncta, attamen haec remedia non diutius sunt adhibenda. Sic dicta drastica, sicuti Jalappa, Helleborus, gummi guttae, Radix gratiolae rarius et quidem in extremis casibus saepius parvis dosibus tanquam additamenta ad alia indicata medicamina adhibentur.

Salia alcalina cum aceto, oxymelle squillitico commixta insuper laudantur. Eadem laude gaudent diaphoretica Roob Sambuci, Spiritus Mindereri, Sal ammoniacus praesertim Antimonialia et Pulvis Doweri.

Inter remedia externa, quae in hydrope auxilium praestitere adhuc numerantur oleum olivarum, Hyoscyami, Chamomillae, Linimentum ammoniatum, tinctura Cantharidum, quibus hydropici partes infricantur.

Curam diaeteticam quod attinet, in hydrope inflammatorio cibi nutrientes et potus spirituosi sunt fugiendi, hinc aegrotus aquam frigidam cum syrupo Rubi Idaei commistam, nec minus decoctum hordei, oryzae cum succo Citri aut oxymelle, serum lactis bibere debet; praeterea corporis et animi quies est observanda. Ubi autem hydropi debilitas subest, cibi nutrientes, facileque subigendi animales imprimis, potus spirituosi, vinum et cerevisia bona sunt ordinanda. Insuper aegroto externa subsidia scilicet exercitia et motus corporis sub coelo sereno animi recreatio et sic porro sunt commendanda.

L i t e r a t u r a.

Donalt Monro's Abhandlung von der Wassersucht und ihren besonderen Gattungen. Aus dem Englischen, mit Anmerkungen. Leipzig, 1777.

Francisci Milmann, Animadversiones de natura hydropis ejusque curatione. Londini, 1779; ins Deutsche übersetzt. Braunschweig, 1782. 8.

C. G. Schwenke, Bemerkungen über die Wassersuchten und einige langwierige Krankheiten, mit theoretischen und praktischen Zusätzen, von *C. L. Schmalz.* Dresden, 1787. 8.

Fr. X. Mezler, von der Wassersucht. Eine gekrönte Preisschrift. Aus dem Lateinischen. Ulm, 1787. 8.

P. Kamper, über die Natur, Ursachen und Behandlung der verschiedenen Arten der Wassersucht, in der Sammlung auserlesener Abhandlungen für praktische Ärzte. Vol. XVI. p. 422.

D. W. Sachtleben, Klinik der Wassersuchten und ihrer ganzen Sippschaften. Danzig, 1795. 8.

J. G. Knebel, Abhandlungen von der Wassersucht im Allgemeinen. Breslau, 1801. 8.

J. P. Frank, de curandis hominum morbis Epitome etc. Lib. VI. p. 134.

W. A. Haase, über die Erkenntniss und Cur der chronischen Krankheiten. III. Bd. Leipzig, 1817—1820.

A. J. Richter, spezielle Therapie. Nach den hinterlassenen Papieren herausgegeben von *G. A. Richter*. Berlin, 1813 —1821. III. Bd.

J. N. Edler v. Raimann, Handbuch der speziellen medicinischen Pathologie und Therapie. Dritte Auflage. Wien, 1826.

Theses defendendae.

I.

Male consulunt sanitati, qui omnes influxus nocivos anxie fugiunt.

II.

Stimulus gradu alius effectum quoad indolem alium reddit.

III.

Non datur homo hermaphroditus verus.

IV.

Non omnis epilepsia stimulantibus tractanda.

V.

Dedecet medicum loquacitas.

VI.

Duratio morbi non sistit differentiam inter morbum chronicum et acutum.

VII.

Quos sanos novit aegros melius curat medicus.

VIII.

Medicus hinc inde aegrum fallat oportet.

IX.

Phthisico nullum remedium tantum levamen adducit, quantum pertinax instantis sanationis spes.

X.

Pulmoni bruma, hepati aestas infensa.

XI.

Datur prophylaxis, quae non nocet.

XII.

Non existit morbus revera intermittens.

XIII.

Nullus datur studiorum terminus in medicina.